

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disputationes Chirurgicæ Selectæ

Haller, Albrecht von

Lausannæ, MDCCLV.

VD18 90538889

XXXII. De Catarrhacta, Dissertatio Medico-Chirurgica.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16577

X X X I I

DE CATARRHACTA,
DISSERTATIO
MEDICO-CHIRURGICA,

Quam Præside

BERNARDO ALBINO,

Tuebatur

LEOP. DIETER. GOSKY,

Francofurti ad Viadrum 11 Octobris 1695.



DECATARHAGTA
MEDICINA
TERWARD O ALBINO
LEON PETER GOSSE
1805



T H E S I S I.

Varia affectui huic nomina sunt. Suffusio enim ὑπόχυμα καὶ ὑπόχυσις aqua & catarrhacta, aliis hæc nomina indifferenter sumentibus, quæ alii diversis ejus gradibus tribuunt, dicitur. Cum enim non nisi raro subito oriatur, sed per gradus incedat, adeo ut sub initium oculorum aciem variæ observantes imagines obtundant, deinde aliquid collectum in pupilla instar aquæ appareat, tandem vero pupillam pellicula obducat, hoc catarrhactam, illud aquam, istud suffusionem nominant, *Laz. River. prac. mod. lib. 2. cap. 4.* Quamquam hic rursus diversa sentiant, dum alii suffusionem & ὑπόχυμα καὶ ὑπόχυσις pro iisdem, alii pro diversis habent. Ita *Paulus cap. 22. lib. 3.* per παρέχυσις seu affusionem, alibi vero per σύχασιν sive consistentiam explicat, per hoc confirmatum, per illud incipiens malum denotans. Veteribus etiam medicis nulla differentia fuit inter ὑπόχυμα & γλαύκωμα, recentioribus vero crystallini humoris in glaucum colorem mutatio γλαύκωμα est. Sustinent proinde alii ὑπόχυμα generale nomen affectus esse, quod incipienti & confirmato sive alterutrius sive utriusque oculi malo competat. Secundus gradus aqua, aquæ descensus, sive gutta, quod in eo aër quasi nebulis sive pluvia refert. appareat, ex eadem ratione qua prior gradus propter pilorum, telarum, muscarum apparentias, imaginatio, dicitur. Cum denique velum pupillæ obductum perpetuam facit noctem catarrhacta, voce à Græcis mutata, vel quia quandoque præcipiti lapsu, perinde atque in locis abruptis & præcipitibus in flumine, unde aqua potius ruit quam fluit, quæ καταρράκτης à καταρράσσω impetuose deturbo, ingruit malum; vel quia vectis instar pupillam obfirmat seu ἐπιρράκτη ὄρα porta pendula & recidens radios solis intercipit, nominatur. Antiqui catarrhactas Veneticos oculos, quia quandoq. Veneti, quem colorem cœruleum *Scaliger exercit. 325.* esse scribit, coloris sunt. Quamquam differentiam velit Galenus, ita ut duobus modis veneticos, vel propter aquam minium coagulatam, vel quam patitur crystallinus siccitatem de oculis cap. 12. fieri scriptum reliquerit. In hoc Authorum dissenso liberum nobis erit ut hoc vel illud nomen eligamus, cumque catarrhacta ultimum denotet gradum, eo nomine utemur, quia ad illum non nisi per gradus acceditur, nec nisi iis simul explicatis enodari potest. Germanis *der graue Staar* dicitur.

T H E S I S I I.

Suffusionem aliam notham aliam veram esse memorant Authiores; illam cum per intervalla augetur & remittit malum, observatur enim non una vice & minora & pauciora obvolitate corpuscula cum jejuni sunt ægri,
Tom. II. G quæ



quæ cibo sumpto augentur, quale exemplum recenset *P. Forestus Obs. lib. II. Observ. 32.* Aut cum non continua est, nec semper eodem modo se habet, sed aliquando fere nulla, quale quid subinde in febrium ardentium vigore, cum phrenitis & critica narium hæmorrhagia instat, evenit, *D. Sennertus Prax. Med. T. 2. lib. 1. part. 3. sect. 2. cap. 28.* Vel cum humor albugineus ita vehementer crassescit ut visionem prohibeat, *H. Capiuaccius pract. lib. 1. cap. 38.* appellant. Hanc autem, sive veram, cum præternaturales humores concresecunt & in membranam abeunt, quæ intus pupillam aut totaliter aut ex parte obtegat, & visum vel auferat vel impediatur, constituerunt. Sed facile apparet spuriam cum vera complicatam atque ad illam totidem quasi gradus esse, si, quæ in febribus ardentibus fiunt, exceperis. Gradatim quippe ut plurimum hoc malum invadit. In initio videlicet ob oculos versantur culices, muscæ, festucæ, retia, fila aliaq. sursum deorsumque temere velut agitata, quandoq. irides circa candelas apparent, ad lucem intensiorem caligant, & sub crepusculum distinctius vident. Diminuitur visio paulatim & intervertitur, ut vel gemina, vel minora, vel perforata, vel maculosa videant omnia. Pupilla processu temporis apparet turbida & colorem maris refert, deinde albicat donec crassescat & pellicula obducatur, quæ cum initio tenera glauciq. fere vel cinerei coloris & propter mollitiem adhuc immaturior est, suffusio aquæ *der Wasser-Stern* dicitur. Sed cum incrassatur varios induit colores tela, prout enim crassescit albicat, coloris fit vitrei, plumbei, glauci, gypsei, citrini, viridis, aurei, fusci, nigri. Et hæc tela quandoq. totam obtegit pupillam, quandoque in medio crassior & in ambitu quasi fenestrata est; ex dimidio etiam obsedis oculum, *N. Blegny Zod. Med. Gall. ann. 4. mens. April. observ. 12.* notat.

T H E S. I I I.

Intus pupillam à catarrhacta ocludi primo intuitu cuius apparet, sed quis proprie locus sit quem occupat controvertitur. Inter uveam & crystallinum humorem aquam nasci coagulata *Galenus de oculis cap. 12.* Inter corneam & uveæ foramen, imo aliquando penitus colligi *P. Forestus lib. II. Obs. 30.* ab aqueo humore tenacitatem aliquam adipiscente inspissato & exsiccato, quemadmodum in pulvere, cutem seu pelliculam nasci, margini, membranæ foraminis sensim accrescere illudq. opplere. *F. Platerus lib. I. cap. 7.* Humorem crystallinum incrassari. *G. Rolfinc. Dissert. Anat. lib. I. cap. 13.* Inter ceratoidem & choroidem locum vacuum esse, in quo humor paulatim concresecat & indurescat. *C. Celsus lib. 7. cap. 7.* scribunt. De tota hac re ut certiores fiamus, quid in Anatomie catharractarum repertum sit dispiciendum. Humores crystallinum & vitreum perspicuos & nitidos, ita tamen ut crystallino in parte postica pertinacissime adhæserit mucus albus, crassus, viscidissimus, qui citra dilacerationem separari nequiverit, cui similis

milis antèrius tum humori cryſtallino, tum uveæ quoq. firmiter accre-
verit, *J. J. Wefferus E. N. C. Dec. 2. ann. 7. obſ. 17. annotat.* Suffuſio-
nem inter corneam & uveam, cujus materia non fuerit pelliculæ ſimilis,
ſed dura & mediocriter craſſa pellucida tamen in modum ſquammeæ corneæ
apud *F. Plazzoni vidit I. Rhodius Cent. 1. obſerv. 81.* Uveæ tunicæ foramen
à materia denſiore obſtructum mucò e naribus educò perquam ſimili me-
diantibus fibrillis capillaribus undique margini foraminis adhærere, obten-
ſamque cryſtallino humori pelliculam candicantem & lucidam à mutua dic-
tarum fibrillarum cohæſione effictam fuiſſe humoribus puriſſimis obſerva-
tio eſt *M. Bailly chirurgi apud T. Bonetum ſepulc. lib. 1. ſect. 18. obſerv. 22.*
Et hanc veram eſſe ſedem operatio docet, in qua acus acies ſurſum de-
orſum & ad latera circa foraminis marginem circumducitur, donec pel-
licula remota deprimi poſſit. Non quidem inficior, quod etiã alii ſe vi-
diſſe memorant, cryſtallinum humorem, quandoque increaſſari, indurari,
cum cornea, connecti &c. Sed illo in caſu non catarrhacta ſed cryſtallini
humoris immedicabile vitium eſt.

T H E S. I V.

Cauſe procatarracticæ variæ obſervantur, iſtus, lapſus, concuſſio, dolor
capitis, frigus, variæ oculorum affectiones; quamvis hæc non perpetuo
præcedant, sæpe enim ſine ulla manifèſta cauſa ſuccreſcit malum, cum
nempe una cum iis, quæ aqueum humorem conſtituunt, particulis craſ-
ſiores deponuntur mole & numero differentes quæ illum reddant turbidum
tandemque ſibi implicite cohæreant & uveæ annectantur. Nempe quæ ſcle-
roticæ immediate ſubjicitur choroides à fundo oculi ad pupillam uſque pro-
tenſa eſt, illic duplicatur, ex una parte iridem, ex altera proceſſus cilia-
res efformat, uvea antèrius dicta ejuſque circularis limbus pupillam facit,
quæ circum circa circulari muſculo cincta arctari poteſt, dum interea li-
gamentum ciliare humori cryſtallino incumbens eum diverſimode movet,
vel pupillæ dilatationi & conſtrictioni ſuccurrit. Humore aqueo turgiduli
ſunt oculi, qui antèriorem illorum bulbum replet, fluidus ſatis igniſque
impatiens, ut dum ad ejus ſenſum reliqui in gelatinam abeunt, hic pe-
nitens evaporet, dumque reliqui conſtanter ſuam ſervant figuram, hic ex
oculo perpetuo tranſpiret, brevi periturus, niſi ductus aquoſi oculorum
Nuckii jacturam reſarcirent. Alluit ille à parte poſtica cryſtallinum, qui li-
gamento ciliari antèrius pupillæ junctus in vitrei humoris ſinu blande re-
cumbit: omnes ſunt, ut ut denſitatis gradibus differentes, diaphani ut per
has lucis tranſennas ſine interruptione res menti exhibeantur. Sive proinde
ictu, frigore, inflammatione aquoſorum ductuum orificia ampliuntur, tam
accurata deinceps non ſit ſecretio, quin fluidiores craſſiuſculæ ſequantur,
qui humori innatantes globulorum cœleſtium tranſitum diverſimode interci-
pant, invertant, iis obicem ponant, refringant & neſcio quot non modis



impedimento sint. Quoad pauciores sunt unius vel alterius puncti, motum oculorum sequentis, cuiusque successivam subsidentiam e paulatino descendente puncti sensu advertas, umbram exhibent, donec plurimum affluxu indies humore magis & magis turbato, & cohaesione corporum minorum culicum nempe muscarum & festucarum ludibria pariant, vel sibi mutuo innexa & irretita globulos non aliter atque per rete transmittant, vel sua resistencia globulorum circa axem motum augeant, vel minuant, cum illarum praepressis vigor ad candelae praesentiam actuatur, & ita iridem pingant, donec perpetuo globulorum transitu successive ad latera propulsa in crassiore condescant primo mucum, qui ab aliarum appulsu pedentim densatus membranam facit vel integram vel pertusam, quaeq. pro varietate corpusculorum, e quibus nata, diversicolor est, nec in omnibus partibus semper aequae compacta iridi irretitur, imo crystallino aliquando connectitur, ubi dum globulorum impetum sustinet illum vel ex parte vel ex toto excipit vel aliquo vel nullo luminis sensu.

T H E S. V.

Aliam cataractae genesis concipit *J. de la Charriere novell. oper. de Chir.* dum ait in eo convenire eruditos, quod in prima conformatione omnes partes sint delineatae, atque ex hoc indubitato principio sequi, nullam membranam contra naturam ullo tempore gigni posse, & cataractas, quae adeo frequenter nascuntur, aut, ut clarius loquitur, quae apparent & nostris oculis sensibiles fiunt, nihil aliud esse, quam membranas & exiguas pelliculas quae partes componunt, indeque concludit, cataractas formari ex parva ab humore crystallino secedente pellicula, quae innatet humori aqueo, & in eo juxta diversos oculorum motus fluctuet. Suae deinde opinionis patrocinium ex hoc deducit, quod crystallinus humor, quemadmodum in cocto animadvertatur facile, ex meris tunicarum involucribus contextus sit, quae facile ab invicem removeri possint. *cap. 30.* Quae opinio etiam ex hoc probabilis reddi posset, cum interdum omnino crassam atque consummatam suffusionem uno die congestam viderit *Fernel. path. lib. 5. cap. 5.* quod modo à me explicato vix fieri potuisse verosimile videtur. *A. Lewenhoek* etiam totum humorem crystallinum ex meris squammis, quas bis mille esse supputat, adeoque tenuissimis sibi incumbentibus in observationibus microscopicis de dato 14 April. 1684. constare confirmat. Ingeniosa est haec opinio, sunt tamen in ea quae me morantur. Si nempe pellicula secedit illa integra secedat necesse est; si enim per partes discernitur quae postea denuo coalescerent, ex non membrana fieret talis, qualis tamen olim delineata non erat, quod contra Authoris hypothesin est. Integra vero separari nequit, nisi tunica crystallinum cingens rumperetur, quo facto ille fiet asper, notante enim eodem *Lewenhoekio*, licet haec pariter ex meris filamentis congesta sit, reliquis tamen est tenerior earumque filamentum.

lumentorum sulcos in se recipit, ut crystallini superficies polita sit. Asper factus refringet radios solis alio atque antea modo. Fiet præterea fatente Clarissimo Authore minus convexus, hinc refractio debilior, neque radii unquam se, uti debent, in retina unient & visio confusa esset. Verum humor fuit repertus illæsus & ablata catarrhacta visio redit integra; observavit enim *Th. Bartholinus* catharractam aliquot annorum in morbo, restituto profus oculo, sola filamentum specie pro veltigio relicta, subsedisse. *Epistol. cent. 3. epist. 100.* Simile quid de catarrhacta confirmatissima viginti trium annorum, quæ sine ulla causa externa evanuit oculo sine ulla perturbatione humorum puro, ut facile de omnibus objectis visibilibus potuerit pronunciare, per observationem constitit *Th. de Mayerne Prax. Med. lib. 1. cap. 12.* Quod fundamentum huic asserto substratum attinet delineatas videlicet esse omnes partes id putem de organicis & naturaliter requisitis intelligendum esse: vix enim mihi persuadeo, melicerides, steatomata, atheromata, polypos narium & cordis, renum & vesicæ calculos aliaque præternaturaliter in corpore reperiri solita omnium consensu in prima conformatione delineata extitisse.

T H E S. V I.

In prognosi duplex catarrhacta status expendendus erit, alia enim est incipientis, alia confirmatæ, quamvis utriusque difficilis sit: illa, cum ægri figuras, magnitudines, numeros & motus discernunt, in juvenibus quibus oculi non debiles, nec atrophia laborant, aliquam curæ spem relinquit: confirmatam vero nullis auferes medicamentis.

T H E S. V I I.

Curæ difficultas nimium quantum salivam movit medicis, qui omnia lapidem moverunt, ne malum arte majus esset, adeoque ab universali remedium genere venæ sectione curam ordiuntur, non tam propter plenitudinem aliquam quam suffusionem ipsam *P. Forestus lib. 11. obs. 30.* Alii non nisi in principio, si plethora adsit & sanguinis affluxus metuatur, venam secant *D. Sennertus Prax. T. 2. lib. 1. part. 3. sect. 2. cap. 28.* Raro phlebotomiam faciendam vult *J. Sylvius oper. med. p. m. 417.* Venæ sectionis penitus non meminit, *A. Villanovanus brev. lib. 1. cap. 7.* & *Jachinus* eandem penitus improbat. Hunc dissensum excipit unanimis consensus circa usum purgantium, dum accurate in initio purgandum esse præcipiunt; utq. purgatio feliciter succedat, vel ocularia præmittunt medicamenta, vel ea ipsis purgantibus addunt, ut sunt pilulæ sine quibus, lucis majores, minores, coccinæ, de agarico, mastichinæ, alcephanginæ, de hiera, affajereth &c. Nec modo semel, bis, ter vel quater, sed toties hanc materiam evacuandam, donec in totum curatus sit affectus,



esse jubent. Jac. Sylvius l. c. Addunt alii clysteria acriora *Chr. à Vega de arte medendi lib. 3. sect. 3. cap. 8.* Balanos, item frictions & fots per aquam calentem partium extremarum & harum ligaturas dolorificas, phœnigmos quoque & cauteria in coronali, aut prope aures, aut setones cervicibus affixos e regione oculi affecti, cucurbitulas item, primo leves, deinde scarificatas: jubent etiam ut manus sepe & diu in lecto vel alibi teneantur clausæ ut sudent. Jac. Sylvius l. c. Gargarismata & errhina, quæ pituitam educant, item si quotidie jejuno ventre caput retrorsum pectine scalpatur, laudantur à *C. à Vega l. c.* Arterias temporum inustas recenset *Severinus Pyrot. lib. 2. p. 1. p. 217.* & tandem fonticuli passim omnibus placent.

T H E S. V I I I.

Verum cum origo catarrhactæ veræ non à sanguine fiat, sed in pororum, per quos supplementa aquei humoris sequelstrantur, distorsione consistat, quid venæ sectio præstare possit non comprehendo, nisi eo usque, licet dubio adhuc eventu, evacuare vellemus sanguinem, donec vasorum tunicæ subsiderent porique collaberentur, ut crassiora corpuscula excluderent, in dubio sanitatis dispendio. De purgantibus nihilo plus præstolor, cum illorum ne millesima pars locum affectum attingat: nec juvabit ophthalmicorum admixtio, cum hæc non secus atque alia assumpta motum sanguinis sequantur, &, prout fors fert, hæc vel illa alluant loca; nec, licet ad oculos venirent, vel distortos immutare poros, vel turbidos depurare humores valerent. De clysteribus, balanis, frictionibus, ligaturis, phœnigmis, cauteriis, setonibus, cucurbitulis, gargarismatibus, fonticulis &c. jure quæsihero quid cani cum balneo? Hæc & similia à Pisano, Monspelienfi, Parisiensi & Monacensi collegiis medicorum frustra adhibita fuisse vide apud *O. Grembs arb. int. & ruin. hom. Lib. 2. cap. 1. §. 11.* Sed quid de inustione arteriarum tenendum, cum per eas eat ad oculos sanguis, adeoque inde aliquid emolumenti sperandum videatur? Non dicam illos inter se non convenire quænam inurendæ sint. Hippocrates namque venas inuri vult, sed quales præcise non determinat, quas in temporibus deligit Celsus. Albucasis & in sincipite & in occipite & in tempore oculi laboranti proximo urit; alii venas in medica auriculæ cartilagine eligunt. Id saltem dico me non videre, quid magnifici arteriarum inustio præmittat, sed inter illa mihi referenda videtur, ubi magno molimine nihil agitur. Seu enim præcise ille carotidis arteriæ truncus, ex quo omnes oculorum arteriæ oriuntur, vel aliquis illorum ramorum, vel aliquis plane alius inuruntur, & inustio vel superficialia, quæ tunicas modo arteriarum adurat, vel profundior, qualem intellexisse videntur cum longis impressis cauteriis discindi velint, intelligitur, arteriæ, quarum nulli rami ad oculum vergunt, sive superficialitenus, sive profundius urantur, ad rem conferunt nihil, cum sanguinem alio versus non ad oculos portent, qui sive

sive ab ustione mutatus fuerit, sive non, cum ad oculum non perveniat, nec proderit, nec oberit. Qui vero ea revulsionem intendunt, mihi in aprico circulationis sanguinis caligare videntur. Si trunci ad oculum tendentis unus aut alter ramus uratur reliquis intactis, dato horum vitium eo ipso corrigi, aliis tamen sua manebit labes, & perenniter oculo nocebunt. Sin vero integer truncus ad radicem uratur ut totus exuratur, atrophia peribit oculus perpetua cœcitate subsequa; si tandem ustio fuerit superficialis, quæ tunicas modo tangat, licet concedam eum, qui tunc temporis est in ea quæ uritur arteriæ parte, posse alterari, ille certe, qui sine intermissione sequitur, hoc ipso non correctus est. Ut jam taceam non sanguinem hic peccare, sed in poris eorum vasorum in quibus sit sequestratio, vitium hædere. Qui venas inuri jubent vel per eas arterias intelligunt, quo sensu probabiliter Hippocrates, Celsus aliique vetustiores illas accipere, vel venas ad partes vehere penitus nihil ignorare volunt.

T H E S. I X.

Propius locum affectum tangunt collyria, quæ in principio alia, alia in morbi progressu erunt. Cum enim ductus aquosi oculorum novi sclerotidem perreptent & in corneam non longe a pupilla sese inferant, uveam tunicam & potissimum iridem aggrediantur, ibique iterum in varios abeant furculos, & hi sint per quorum orificia ampliata turbidus affluat humor, eo enitendum erit, ut illos, quoad licet, leniter constringamus, atque ita mali fontem præscindamus; licet enim horum ductuum origo profundior sit, dum intra cranium ex trunco arteriæ carotidis oriuntur, nec eo medicamentis pervenire liceat, eo tamen non evincitur penitus inaccessam, sed rem difficillimam esse, cum vasis ex parte constrictis ob brevitatem adstrictio eo extendi possit. Hoc sine sub initium fatus e vino rubro austero commendatur & inter mysteria refert unguentum, quod sit ex fœce olei & omphacio *Gesnerus*, affirmatque *J. H. Cardilucius* ad suffusionem præcipuum esse spiritum vini per se linteis duplicatis dietim bis terve vel quater oculo suffuso impostum continuato ejus usu per integrum mensem, indubie enim suffusionem detergi, & absumi eam etiam quæ jam visum plane impedit *in notis ad prax. chimiæ. Hartm. cap. 34.* Aqua spirituosâ panis filiginei per descensum in mortarium æneum destillata, atque in eo per noctem relicta celebris est. In progressu morbi, cum non amplius de impediendo affluxu agitur, discutientibus insistent, quorum quanta farrago passim reperitur, dici vix potest. Chelidodium, fœniculum, raphanus, elleborus, albus & niger, anagallis, guajacum, fraga, nuclei persicorum, marrubium, leucorum bulbosum, ruta, verbena, consolida regalis, valeriana, nepetha, aquas destillatas, succos expressos, decocta, cineres &c. ab autoribus passim magnifice laudata, suppeditant: nec ab oleis destillatis anisi, fœniculi, cinnamomi, caryophyllorum, piperis sibi temperant. Regnum animale talium remedi-

orum



orum promus condus est. Muris sanguis & galli fel & muliebri lac æquis ponderibus mista ad suffusionem mirabilia sunt *Galeno de med. fac. parab. l. 3. §. 11.* Sanguis columbinus calide instillatus, fella piscis-hirundinis, galei acanthiæ, hominis vi interempti, mustelæ piscis, hirci, testudinis nemo-ralis, calide instillata decantata sunt remedia: de quibus convenienter *Galenus* scribit: *Prima fere omnium compositionum est, quæ ex funiculi succo & hyena felle ac melle attico constat: quidam vero etiam caprinum fel addiderunt. Verum postea alius aliud fel admiscuit, alius galli, alius viperæ, alius testudinis marini, alius callionymi piscis. Nunc vero in pretio est pharmacum ex felle scarorum, de composit. Pharmac. secundum locos lib. 4. cap. 4.* A. *Spigelium* felici successu fel lucii piscis modico saccharo miscuisse, seque eo septimanæ spatio suffusionem incipientem resolvisse scribit *J. Scultetus argument. chirurg. Tab. 33.* Aqua e corniculis, quæ in fraxinis nascuntur, contulis destillata excellentissima est. *J. J. Mangetti Bibliot. Med. Pract. lib. 3. de catarr.* Radix gentiana incisa, & cum aceto cocta instillata laudatur a *Lipso de morbill.* Pulvisculum ex capite felis nigri perusto in sufflatum *Cardilucius*, alcohol ex cerebro hirundinis & melle *Varignana*, sal viperarum *B. Timæus a Guldenklees*, ova formicarum in liquorem soluta, liquorem ex formicis in clibano paratum, pinguedinem viperæ, mel, urinam pueri non polluti alii passim commendant. Quantus collyriorum ex his similibusve paratorum numerus sit, quorum quodlibet suis superbit encomiis, dici vix potest. Aqua quercetani, Collyrium *Vigonis* famâ adepta sunt, aqua ex felle lucii piscis destillata, vel ejus essentia ope spiritus vini facta, spiritus vini cum spiritu falis armoniaci coagulatus passim laudantur. Tandem ad particulas discerpendas commendant aloetica, vitriolata, antimoniatâ, quæ videlicet penetrare & cuticulam abradere possunt, quorum nonnulla in modo laudato collyrio *Vigonis* reperiuntur: miraculi instar juvare si vitrum antimonii cum chalcanto in albumine ovi ponatur, ligetur & infundatur & collyrii loco adhibeatur ex aliorum fide refert *O. Grembs arb. integr. & ruin. hom. lib. 2. cap. 1. §. 11. n. 18.* Alii ovum ad duritiem coctum, vitriolo albo vel viridi æris addito saccharo replent, in aqua rosarum macerant ac exprimunt, vel albumini cocto calenti vitrioli romani partem unam, zinziberis albi & sacchari candi aa. partes tres imponunt, per chartam emporeticam transcolata oculo instillant. Mulierculis *Danicis* in usu esse fructum electi zingiberis de raso cortice tandiu affricare coti cum aqua rosacea, donec ex attritu in vasculi fundum crassamentum quoddam deponatur, cujus partem spissiore palmæbræ oculo clauso mane & vesperi allinant, ibique quiete relinquunt, donec æger agnoscat evidentem in oculo calorem, pro necessitate reiterato labore. Eas etiam strophium purum, sed usu fere detritum, in securi ferrea comburere, & paucum, quod inveniunt oleum, sollicite exceptum digito oculis ægris ingerere, seq; ex crebra usurpatione alterutrius hujus pharmaci non raro notasse insignem fructum malo nondum confirmato scribit apud *Th. Bartholinum in act. Med. Hassn. vol. 5 observ. 63.* *Borrichius.* Ut de his addam quod sentio, mea faciam verba *C. Galeni*

de



de Compos. Medic. secund. locos lib. 4. cap. 4. Promissiones omnium horum pharmacorum magna sunt. Verum effectus aliquando nullus, aliquando valde exiguus. Agnovit post Galenum hoc *H. Fabricius ab Aquapendente* dum, quo plura magisque composita fuerint collyria, eo minus proficua minusque adhibenda esse, scribit *Chirurgia part. 2. cap. 18.* Nec de nihilo est ratio, quam subjungit, quod medicamenta oculo admota propter instabilem & perpetuum oculi motum vix per momentum ibi permaneant, sed statim diffluant. Excogitavit proinde cucurbitulam e crytallo ita fabrefactam, ut oculum accurate recipiat, nec aqua infusa ullo modo effluere possit. Anfata illa fuit & infundibulo instructa, ut anfarum ope capiti alligari & per hoc, tum tepida collyria infundi, tum vapor illorum exhalare possit. Verum nec hoc mihi satis esse videtur; obstat scleroticæ atque conjunctivæ crassities, quo minus penetrent, obstat illorum teneritudo, quo minus penetrantia & acria medicamenta diu sine inflammatione vel dolore ferre possint; & illa collyriorum corpuscula, quæ penetrant, æque tenerrima oculorum capillamenta atque cataractæ rudimenta discerperent, admistaque humoribus eos minus pellucidos redderent.

T H E S. X.

Maxima proinde curæ spes in chirurgia, quæ natam removeat pelliculam, consistit, ad hanc tamen inconsulto veniendum non est, sed omnia expendenda ne spe optata excidamus, cum, licet rite omnibus animadvertis, sæpius secus ac sperabatur eveniat, de quo *H. Fabricius ab Aquapendente chirurg. part. 2. cap. 7.* multis conqueritur. Et certe plus una vice miratus sum, quis audacis adeo facinoris primus extiterit autor, crediderim fere cum *Galeno*, suffusos appungere; quod capra quæpiam ex suffusione male habens junco aculeato in oculum impresso visum receperit, inter ea recenseri debere quæ casu observata fuerunt introd. cap. 1. Ne igitur in dubii adeo eventus re cespitemus, abstinebimus a punctione in iis, qui diu de capitis dolore conqueffi sunt, & eo adhuc laborant: indicio enim dolor est, obstructions in cerebro atque adeo etiam nervis opticis esse, adeoque majus quam catharractam subesse vitium, justo metu pelliculam non modo, quam videmus, adesse, sed & humores mucore obsideri, cujus exemplum ex *Wepfero Th. III.* habet: Si oculus atrophiam laboret, quia & illa ab obstructionibus, quæ nutrimenti in humores & partes solidas affluxum intercipiunt, oritur: si vetus sit & corneæ & uveæ nimis arcte cophæreat: si facta frictione iris neque dilatatur neque contrahitur, sed immobilis manet: si oculus soli expositus ne lucis quidem crepusculum percipiat frustra operaberis, durior enim arctiusque connexa est, quam ut sine laceratione uveæ removeri possit. Gypseæ, virides, nigre, livide, citrine, coloris argenti vivi æmulæ fere sunt incurabiles. Si cornea flavis, albis, cœruleis punctis vel lineis interdistincta sit, si in humore crytallino hæreat malum, aut catarrhacta non resplendeat, aut si matura nondum sit, operatio nil prodest. Maturitatem vero cognoveris, si pellicula a palpebræ frictione in partes non solvatur, quoad enim tenuior

Tom. II.

H

est



est diffluit & acis depressionem eludit; si radios candelæ phialam aqua repletam vel prismâ transeuntes percipiat, iridisque quodammodo colores distinguat matura nondum est; si enim in pellem jam dum condensata foret, debilem istam radiorum pressionem non transmitteret. Volunt curiosiores animadvertisse albam sexennio, gryseam sex mensium spatio, flavam scito crescere &, nisi tunc compungantur, duritiem acquirere corneam: cognosce s igitur justum operationis tempus, cum oculo perfricto & subito aperto catarhacta nec cedit nec diffluit, pupilla dilatatur ægerque præter lucem luminis nihil cognoscit.

THE S. XI.

Cum catarhacta maturuit, immissa acu ab ambitu pupillæ separanda est. Quæ operatio cum subtilissima sit, in ea circumspecte procedendum, & bene cum æger tum Chirurgus & instrumenta expendenda sunt. Æger sit homo cæteroquin sanus, nec tussi aut coryza laboret, vel frequentibus sternutationibus obnoxius sit, his enim concussionibus optime depressa reascenderet pellicula. Oculos habeat paululum protuberantes, si enim intra orbitam profunde lateant difficilem & quandoque impossibilem operationem reddunt. Non sit infans, infantes quippe nec in operatione, nec post eam iussis Chirurgi parent, & licet capitis jactationem inordinatosque membrorum motus prohibere possimus, licet etiam annulo Aquapendentis palpebrarum compressionem inhiheremus, lachrymæ tamen, ejulatus & suspiria evitari nequeunt, quæ & in ipsa operatione & ea peracta illam infectam reddunt. Chirurgus ambidexter sit manusque habeat stabiles & firmas oportet, ambidexter esse debet, quia dextri oculi catarhacta sinistra, & illa sinistri dextra manibus deponi debent. Nec tremulæ sint manus, ne cuspidæ adactæ acus tremente, quæ tangi nondebent, compungantur. Nec absque fundamento *G. Fabricius obs. chirurg. cent. 4. obs. 16.* fulcrum excogitavit, cui cubitus chirurgi veluti basi aut columnæ firmissime incumbere eoque sustentari possit. Licet enim chirurgus alias non tremat, facile tamen fit, ut ex longa ista in altum elevatione vacillet, manusque tremat, tale infortunium hic Francofurti præsentate Domino Præsidi virginî cuidam evenit, cum enim operatorem in ipsa chirurgia tremor manus invaderet, acum adstanti socio dare cogebatur, eo successu, ut iris laceraretur, hodieque adhuc dum ea virgo instabilem & hinc & inde fluctuantem pupillam omni restitutionis spe destitutam habeat. Et bene notat laudatus Fabricius non usque adeo tutum esse, si brachium ab adstante aliquo sublevetur ac suffulciatur, cum & ipsi vacillent facile. Notatque loco citato Scultetus inter Chirurgum & patientem pulvillos positos fuisse, quæ operantis brachium sustinuerint.

THE S. XII.

His rite animadversis die sereno in conclavi mediocriter illuminato æger
in



in fedili humiliore eo, in quo illi ex adverso fedet operator, collocatur, adeo propinque, ut cruribus divaricatis crura ægri excipiat: æger manibus suis utrisque chirurgi femoribus immititur, vel chirurgi hypochondria amplectitur, ut pressione suarum manuum chirurgum monere possit, si forsan cuspis acus partem quandam oculi tangendo dolorem excitet, ut eam retrahat nonnihil, nec quid laceret, vel vulneret. Stans a tergo minister ambabus manibus erectum & immotum ægri teneat caput. Postquam oculo affecto æger nares respicere iussus est, alter impositis plagulis fascia, ut uterque maneat eo in situ, constringitur. Quo facto pollice fricare palpebram & seminis fœniculi halitu oculum irrorare, sed non video quo fine, consueverunt. Acum cerumine aurium illitam per pannum laneum vel pileum aliquoties, ut si quam forsan asperitatem a rubigine vel alias contraxerit, lævigetur & modice incalescat, transfadigunt, eamque aperta palpebra oculo ad canthum majorem converso in album oculi inter canthum minorem & iridem straminis ab hac distantia adigunt, & oculi tunicas terebrando perforant, donec cuspe in oculi bulbum pervenerint, tunc versus pupillam illa dirigitur, donec ad medium pelliculæ pertingat, quod oculo facile dignoscitur: separatur deinceps paulatim a margine uveæ, separataque deprimitur, donec hæreat, nec reascendat, quod si fecerit, denuo deprimenda, acu tamdiu in oculo relicta, donec oculo licet commoto pellicula tamen non redeat. Sed cavendum ne laceretur pellicula, partes enim, licet deprimantur, non manent depressæ, sed in aqueo fluitando visum obfuscant. Nec tamen despondendus est animus si hoc contigerit, licet enim *catarrhacta* verba sunt P. Barbette chirurg. cap 16. *non satis intra pupilla regionem sit depressa, dummodo in particulas sit divisa, perfecta visio intra sex aut octo septimanas sæpiissime redit, licet tota operatio absque ullo fructu peracta videatur, quod aliquoties experientia edoctus loquor.* Acus tandem palpebra depressa & oculo clauso sensim rursus extrahenda, & si operatio successerit, pupilla apparebit nigra & videbunt.

T H E S. X I I I.

Acu deprimendam esse in eo quidem conveniunt fere omnes, & recepta praxis est, quæ tamen suis non caret difficultatibus. Si enim acus cuspis fuerit acutior, per duras oculi tunicas adigitur quidem facile, sed æque facile catarrhactam discindit, uveam vulnerat, ligamæti ciliaris tenerrimas fibras lacerat, ut non sine periculo in oculi bulbo commoveri possit. Quod si obtusiolem elegeris, non nisi maximo conatu per durissimas oculi tunicas adigitur, oculus comprimitur, ita ut vix transire possit, quin humorem crystallinum tangat; licet etiam scleroticam succingens uvea tenerrima sit, non tamen adeo fluida est, ut ab obtusiore cuspe sine resistentia perforetur, cui dum resistit introcedit & perfacile sit, ut filamenta vel vasa, quibus scleroticæ hinc & inde cohæret, rumpantur; quo ipso dolebit æger, & perpetuæ cæcitatæ damnas fiet.

H 2

Utrique



Utrique incommodo occurrit a recentioribus inventa acus figur: E delineata, acuta illa est, ut sine labore oculique compressione transfadigi possit, sed excavata est, crenam habens triangularem, quæ sulci conductorii vices gerat, a parte postica complanata est, ut hoc manubrio firmiter teneri possit; incurvatam nonnihil cuspidem habet, ne intrusa crystallinum lædat, sed versus pupillam statim directæ sit. Postquam igitur nullo negotio perforatus est oculus, altera acus F. cujus cuspis plana atque obtusa est, sulco conductorio recepta per foramen a priori acu factum intruditur, extracta priori, eaque pellicula, evitatis modo memoratis periculis, removetur.

THESES. XIV.

Qualis etiam industria adhibeatur evitari semper nequit, quin pellicula reasurgat, & quamvis illa aliquoties deprimatur, redit tamen, ut tandem majoris periculi metu, ne quid intra oculum vulneretur, sanguis effusus aqueum turbet, vel aliud malum eveniat, ab operatione desistere & acum extrahere oporteat Chirurgum. Hinc *St. Blancardus in Chirurgia* putat posse in superiore oculi parte supra pupillam exiguum fieri vulnus, opeque duarum acuum forcipis instar fabrefactorum pelliculam eximi, sicque pelliculæ reasensum impediri, nec credit aquei humoris effluxum esse metuendum, cum vulnus in superiore oculi parte sit oculusque immotus teneatur *lib. 2. cap. 8. §. 16.* hausta videtur hæc conjectura ex observatione quam habet *Th. de Mayerne Prax. Med. lib. 1. cap. 12.* qua memoratur mulierem Anglam oculistam acu aperuisse corneam supra pupillam, humorem aqueum, qui turbidus & obscurior factus visum imminuerat, effluere sive, concidisse oculum, applicata remedia, imperatam quietem, prospectum inflammationi, aliquot post diebus postliminio succrevisse humorem aqueum, repletum oculi globum, puncturam oclusam & consolidatam nulla remanente cicatrice, visionis aciem restitutam & perfecte curatum fuisse ægrum. Non sum nescius oculorum vulnera denuo sanari &, qui effluxit, humorem aqueum succrescere, præter enim propriam Domini Præsidis experientiam ejus exempla legi possunt in *E. N. C. D. 1. Anno. 10. Obs. 74. Dec. 2. Anno 5. Observ. 55. & Anno 10. Observ. 182. Nic. Tulpius Observ. Med. Lib. 1. Observ. 30. A. Nuck. de duct. ocul. aquosis p. m. 131.* Imò jam dum apud *Galenum lib. 1. sympt. caus. cap. 11.* & passim alibi: vix tamen mihi persuadeo hoc unquam ad praxin revocari posse, quamquam illud omnino optarem. Amplius paulo deberet esse vulnus, ut acus in forcipem formatæ commodo intrudi possent, quo ipso humor aqueus efflueret statim, conciderent oculi tunicæ, nec amplius scleroticæ & uveæ foramina sibi responderent, humorem crystallinum contingerent, atque adeo forceps intrusa vel non ad cataractam pertingeret, sed inter scleroticam & uveam intruderetur, vel loco cataractæ uveam vel ligamenta ciliaria prehenderet, vel crystallinum læderet, quorum neutrum sine ultima oculi fieret pernicie. Nec exemplum Mayerianum huic conjectu-

jectu-



jecturæ patrocinator, cum in eo solus aqueus humor turbatus fuerit evacuatus, nec quid aliud in eo fuerit tentatum, hinc nullæ aliæ partes læsæ, nullus lædendarum metus fuit, sed consolidato vulnere succrescente aqua rediit visio. Acum cannula munitam excogitarunt alii, ut retracta acu per cannulam tanquam siphonem exurgerent catharractam vid. *C. à Solingen Chirurg. part. I. cap. 26.* Verum non succedere videre est apud *C. Stalpart van der Wiel obs. rar. cent. post. part. I. obs. 8.* Suctione nempe educitur aqueus humor, & mere fortuitum esset, si ejus effluxum sequeretur catarrhacta, æque facile attraheretur uvea, atque ita totus interior oculi mechanismus destrueretur.

T H E S. X V.

Annus circiter est, cum circumforaneus se examinandum Domino Præsidi sifteret, qui gloriabatur, se acum habere qua catarrhactam ex oculo commode educere possit, eamque sibi à veterano quodam suo amico Riga missam esse, qui ea feliciter fuerit usus. Sed ante paucos menses alius quidam agyrta se primum inventorem esse professus prioremque mala fide secum agere testatus fuit. Quicquid horum sit acum ipsam primo describam, quidque de ejus usu sentiam subnectam. D. Integram repræsentat, quæ ex partibus A. B. C. componitur. A pars acus anterior est, quæ in cuspidem acutam, qualem acus habere assolent, terminatur, non tamen uniformiter assurgit, sed in G incisuram habet ejus longitudinis & profunditatis ut B recipiat, ambæq. simul acum efficiant rotundam: summa indultria hæc poliri debent, ut animadverti non possit e duabus partibus componi acum, ne si alicubi promineat, dum in oculum intruditur, hæreat. H. foramen est in quo I. obice firmatur, ut cardinem quasi efficiant. C. elater est, qui utramque partem tenet immobilem, ut non nisi digito pressæ recedant à se & forcipem faciant, quæ in manubrio D. firmatur. Hoc modo præparata acu perforari oculum, cumque ad catarrhactam pervenerit presso digito elatere forcipe prehendi pelliculam, simulque extrahi debere volunt. Primo intuitu plausibile est rem ita confici posse, acus enim ipsa tam affabre poliri potest, ut cum qualibet alia certe; quicquid tenacula prehenderis sequatur oportet, ut pellicula e foramine facto commode extrahi posse, aut si in eo hæreat, firmari, ne redire possit, debere videatur. Verum ut hæc largiar, nunquam tamen in praxin vocari poterit: divaricari enim forcipis crura qui poterunt, quæ in tunicis oculi hærent? Quæ quam solidæ & compactæ sint experientia docet, aut si extrema vi presso elatere crura deducere & foramen ampliare volueris, vel frangentur, vel exquisitissimos excitabis dolores, qui ipsam operationem impediunt & gravissima deinceps symptomata causabuntur.



THES. XVI.

Operatione ex voto peractâ oculo plumaceolum cum aqua rosarum & albumine ovi conquassato, quandoque etiam addito tantillo croci vel aluminis crudi, imponitur, uterque oculus obligatur, ut in omni modo motus oculi præcaveatur; si enim moveretur, facile catarrhacta denuo ascenderet. Propterea etiam nec sternutare, nec tussire, nec moveri, nec concuti alvusque libera & fluida, ne conatu pressionis illam adjuvare opus habeat, cibus liquidus ad masticationem evitandum, esse debet. Toto quadriduo capite altiore ita jaceat, sique dolores relaxationem urgeant, plumaceolum dolorem sistentibus medicamentis saltem humectetur. Deinde remotis fasciis oculi denuo prospiciatur necessariis medicamentis, maneat quinque sequentibus diebus adhuc lecto affixus, tunc demum successive creperæ lucis usus illi concedatur. Sunt alii qui sæpius ab initio obligant oculum & sexto die motum corporis concedunt, talem nempe ut initio in lecto, sequenti die in sella capite supino sedeant. Sed tutius est paulo longiorem imperare quietem. Cum redierit catarrhacta deponenda denuo erit, aut si pedetentim rursus turbetur aqueus illi supra laudatis medicamentis obviam eundem est. Si quæ supervenerint symptomata quæque suis remediis curari debent.

F I N I S.

DE



XXXIII

DE CATARACTA,
DISSERTATIO MEDICA.

Quam Præside

JOHAN. BOECLERO P.P.

Tuebatur

JO. HENR. FREYTAG.

TIGURINUS.

Argentorati 7. Febr. 1721.

